

1603

rum copiis , se infcio atque inconsulto , aditum daturos polliceantur . Ob eas res Rhæti arma capiunt ; arce extructa sibi , compedes injici nunquam passuros affirmant ; nitrati pulveris vim , globos ferreos confiendarumque arcium magistros ex foedere a Senatu postulant . Bergomatum ac Brixiensium magistratibus petita præstari jussum . Henricus , iis cognitis , se ad Rhætos tuendos cum Republica consensurum Patribus significat : ad Hispanorum consilia conatusque evertendos multa sibi suppeteret . At cum jam in Rhætis , vel gentis vitio , vel Fuentani astu , vel inconditæ plebis suspicione ac metu dissidiorum semina suborirentur ; ad ea tollenda , foederaque nuper inita farta tecta que tuenda , Joannes Baptista Padavinus denuo missus .

*Joannes  
Baptista  
Padavinus  
denuo in  
Rhætos mi-  
titur.*

*Venetorum  
commercialia,  
ib aerea  
monetam  
ementitam,  
turbara.*

Per eos dies ulcus sensim altum atque auctum , adeo excrevit , ut summa cum omnium admiratione , gravique cum publica tum privata jactura erumperet . Cum enim aliquot ante annis ærea parva moneta , quæ solidi dodrantem , octo scilicet obulos conficeret , in ærariis officinis cuderetur , ex qua ob minutas impensas plebi commodi , ærario emolumenti haud parum accederet , temporis cursu adeo excreverat compluresque lucro illectos ad eam imitandam & ementendum attraxerat , ut repente tanta ejus vis copiaque effluxerit , ut pene cunctas Venetas ditiones inundaret , auri argenteique in immensum fere pretiis auctis , ut prorsus negotia omnia humanaque commercia interdicta & extincta brevi fore viderentur . Ea vero labe præcipue infima plebs conflictabatur , in quam quidquid illius pestis erat , hominum vel fraude vel industria confluxerat . Huic malo obsistendum Senatus ratus , primum adulterinam illam monetam edicto vulgato prohibuit ; neque aliquid ejusmodi expendendum , ni prius ab officinæ ærariæ magistris probaretur , sanxit . In eos qui ementitam in civitatem importarent , importassentve , vel ob id monopolium fecissent , favissent , agitassent , commerciave habuissent , gravissimæ poenæ necis , bonorum publicationis perpetui exilii propositæ : indici præmia quingentorum aureorum promissa ; exules revocandi , iis exceptis qui a Decemviris , vel ex eorum auctoritate proscripti fuissent , facultas permitta . Ad ea exequenda duo e Patribus